



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

LXXVIII. De homicidio voluntario, vel non voluntario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

LXXV.

Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

Dist. 50. c. Si quis voluntarie. luo p. 10. c. 39.

LXXVI.

Si cuius vxor adulteriū fecerit, aut vir in alienam vxorem inruerit, septem annis pœnitentiam agat.

LXXVII.

Si qua mulier fornicauerit, & infantem qui exinde fuerit natus, occiderit; & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est necare; aut certe, vt non concipiat, elaborat, siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio; has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores Canones decreuerunt. Nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam iudicamus.

LXXVIII.

Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ catholicæ semper subiaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntarie, sed casu aliquod homicidium fuerit factum, prior Canon septem annis agi pœnitentiam iussit, secundus Canon quinque mandauit.

Dist. 50. c. Si quis voluntarie. luo p. 10. c. 39.

LXXIX.

Si quæ mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, a communionem abstineantur vsq; ad mortem; in morte autem eis communitio pro misericordia detur. Si autem superuixerint communionem accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.